DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINUA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

B. F. OUTRAM,

Anglus:

SOCIET. MED. REG. EDIN. SOCIUS, NECNON CLASSIS BRITANNICAE CHIRURGUS.

Ἐσόδω χρέο πυκνῶς, ἐπισκέπτεο ἐπιμελέστερον, τοῖσιν ἀπατεομένοισιν ἐπὶ τὰς μετα-
βολὰς ἀπαντῶν. HIPPOCRATES.

In omni febre oportet vigilare, et quicquid mali oriatur, idoneis remediis succurrere.—HEBERDEN.

Die VIII *ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT CAR. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCIX.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO HONORABILI

HENRICO EDWYNO STANHOPE,

BARONETTO;

CLASSIS REGIAE, VEXILLO ALBO INSIGNITAE,

PRAEFECTO SECUNDO;

NECNON

REGIAE CLASSIS APUD THAMESIN

DUCI ET PRAEFECTO;

HAUD MINUS INGENII ACUMINE,

QUAM

ANIMI FORTITUDINE MORUMQUE COMITATE

CLARO;

HANCCE QUALEMCUNQUE DISSERTATIONEM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DICAT CONSECRATQUE

B. F. OUTRAM.

NECNON

PATRUO SUO DILECTO

THOMAE OUTRAM,

DE KILHAM IN COMITATU EBORACENSI,

ARMIGERO,

VITAE INTEGRITATE MORIBUSQUE HONESTIS

INSIGNI,

HOC PEREXIGUUM TESTIMONIUM

AMICITIAE AC REVERENTIAE,

SACRUM VULT

AUCTOR.

ORDO OPUSCULI.

Page

CAP. I. PROŒMIUM 1
Definitio 2

II. MORBI HISTORIA 2
Primum stadium ..... ib.
Secundum stadium 5
Tertium stadium 6
Signa putredinis 7
—— *mortis instantis* 8
Decessio 9
Signa abnormia 11

III. CAUSAE PRAEDISPONENTES 13

IV. CAUSAE EXCITANTES 15

V. DIAGNOSIS 17

VI. PROGNOSIS 19
Infausta ..... ib.
Fausta 21

VII. CURATIO 22
Consilium quadruplex ..... ib.
Pauca generalia de vomitoriis 23
—— —— —— de affusione frigida 25
De remediis idoneis primo stadio 27
— —— —— secundo stadio 31
— —— —— *signis abnormibus* 37
— —— —— tertio stadio 43
— —— —— —— *signis putredinis* 51
— —— —— Decessioni 54

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag.	*Lin.*	*pro*	*lege*
1	3	precipue	praecipue
5	1	perturbantur	perturbatur
18	21	iu	in
30	1	hordeati	hordeacei
36	20	potur efici	potu refici
50	21	acmodata	accommodatâ

——— Vitiantur odoribus aurae;
Afflatuque nocent; et agunt contagia latè.
Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, et in magnae dominatur moenibus urbis.
Viscera torrentur primo; flammaeque latentis
Indicium rubor est, et ductus anhelitus aegrè;
Aspera lingua tumet; trepidisque arèntia venis
Ora patent; auraeque graves captantur hiatu.
Non stratum, non ulla pati velamina possunt.

Ovidii *Metamorph.* lib. vii.

——— Venienti occurrite morbo.

Persii Sat. iii.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

B. F. OUTRAM AUCTORE.

PROŒMIUM.

Quo legibus almae hujus academiae obtemperem, in animo est, eâ, quâ decet, reverentiâ, quaedam proferre de Febre Continuâ, precipue quae ipse cognovi et annotavi, medicinam domi militiaeque exercens, praesertim decennium apud classem Britannicam.

Qui medicinam apud naves faciunt, multo magis quam alii, ad cognoscendas causas, indicia,

et decursum morborum valent; ipsam mali originem percipiunt, aegros semper ante oculos habent, auxiliis praesentibus febri jam instanti saepe occurrunt; sin minus in pejus ruat, ipsi praesto conspicere possunt, manu propriâ remedia dare, juverint an laeserint perspicere, ipsi erraverint necne, et ex erroribus in posterum proficere.

Quae scripturus sum, potissimum ad febres continuas nostrates pertinebunt; quarum CULLENUS praeclarus scriptis mandavit tria genera, *Synocham*, *Typhum*, *Synochum*, quae sic definivit.

Synocha.—" Calor plurimum auctus; pul-
" sus frequens, validus, et durus; urina rubra;
" sensorii functiones parum turbatae."

Typhus.—" Morbus contagiosus; calor
" parum auctus; pulsus parvus, debilis, ple-
" rumque frequens; urina parum mutata; sen-
" sorii functiones plurimùm turbatae; vires
" multùm imminutae."

Synochus.—" Morbus contagiosus. Fe-
" bris ex synocha et typho composita, initio
" synocha, progressu et versus finem typhus*."

Synocham sinceram aut idiopathicam nunquam observavit GREGORIUS noster celeberrimus; et, meo judicio, febris continuae unicum solummodo est genus, quod tantùm variat pro ratione loci, tempestate anni, aëris quibusdam qualitatibus parum intellectis, pro aegri corporis habitu, et proprietatibus, viribus, aetate et vivendi consuetudine; denique, pro morbi diuturnitate et gradu. Haec adeo speciem febrium mutant et moderantur, ut vix bini febrientes, imò ejusdem domi, eâdemque noxâ correpti, prorsus iisdem signis laborent; et perinde atque vultus, sic febres aliis sunt aliae.

* Vide Cullen Synop. Nos. Method.

HISTORIA MORBI.

PRIMUM STADIUM.

Aegrum adoriuntur, plerumque vespertinâ horâ, languor animi, lassitudo, virium resolutio, horror, et sensus frigoris ex dorso incipiens, nunc levior, nunc gravior: brevi consequuntur vertigo, suspirium, anxietas, gravitas circa praecordia, respiratio crebra. Paulò post, invicem modò friget, modò calet corpus; vexant os amarum, cibi fastidium, nausea, imò saepè vomitus vel humoris pituitosi, vel fellei; subest capitis gravitas vel dolor, artus lumbique plùs minùsve dolent; vultus varius pallet, vel in aliquâ parte rubet; lingua adhaerescit faucibus, et albescit; crebrae debilesque micant arteriae, aliquando sine normâ; urina diluta est, somnus

perturbantur; fere omnes secretiones impediuntur vel vitiantur; et frigoris sensu decedente, corpus paulatim magis magisque incalescit.

SECUNDUM STADIUM.

Morbo progrediente, vires magìs prosternuntur; summo calore corpus fere totum exardet; qui certâ lege carens, plerumque aequat gradum CII thermometri Ft.: vix ultra CVII, aut citra C. Urget sitis importuna; dolore maximè torquentur variae partes, praesertim caput, lumbi, cruraque; cutis valdè aret, nonnunquam paululùm flavescit, seu sparsim erubescit; lingua aret, et aliquantùm flavet; nonnunquam media concava, atque extenuata; aliàs acuta, contracta, et rubrior quàm fert natura; nunc humida fit, et spumam lactis, quod ad colorem, refert: contrahi solet alvus; Color flammeus urinae fit, et quantitas imminuitur: arteriae plerumque circa CXX concitantur. Functiones mentis, pariter atque corporis, laeduntur; sensus modò acuuntur, modò torpescunt; saepe delirat aeger, stu-

petve, praesertim noctu; aliquando pervigilium adest, et aures sonant; aliàs altiores somni.

Hujus stadii diuturnitas admodum diversa est; dies duos, tres, septimanam, diutiùsve perseverat; saepe adest accessio vespertina; aliquando neque haec, nec remissio matutina fere percipitur.

TERTIUM STADIUM.

Post aliquot, at incertos dies, ni morbus conquiescat, debilitas, delirium, vel stupor adaugescunt; parum forsan conqueritur aeger, sed vultus moerore contristatur, et lachrymae ex oculis stillant; saepe muscae videntur ante eos volitare, et in veste miser floccos legit, et fimbrias diducit; at saepe supinus jacet, et omnes sensus externi internique hebent; dum urina alvusque insciè redduntur. Maculae rubrae deformant corpus; pulsus nunc celerrimi et exilissimi sunt, ad CXXX, etiam ad CLX concitati; lingua fusca et aspera fit, aliquando fissa; haud rarò adhuc ruberrima splendet, et laevis, quasi

polita apparet; saepe tremit, si ex ore trudatur. Interdum mens constat; aliter, ob imbecillitatem jam aeger obmutescit, et neque audit neque videt. Aliquando assiduè dormit; et inter dormiendum dentibus stridet, et murmura edit, sed vox debilis vix auditur; alterutra vel utraque pupilla frequenter patula et immobilis apparet, et palpebrae non committuntur; adest tendinum subsultus; summa est virium resolutio.

Morbo sub hâc graviore formâ progrediente, saepius etiam accedunt seriùs ocyùsve *signa putredinis*, (ut loqui solent medici) quae potius autumno quam aliis tempestatibus apparent. Scilicet, pessimè olet corpus: lingua crassâ tunicâ obtecta, nigrescit; labra aspera et scabra desquamantur; his et inter dentes, (qui sicci sunt, et praeter solitum splendent), humor niger viscosus inhaeret; aliquando aphthae ori faucibusque incumbunt. Saepe aeger atra graveolentia sursùm et deorsùm expellit, et urinam subnigram et cruentam reddit; sanguis interdum e naribus et gingivis fluit; vibices pe-

techiaeque livescunt; exulcerationes ex vesicatoriis nigrescunt; et corporis partes quibus incumbit aegrotus, et labia interna ex pressurâ dentium, gangraenâ afficiuntur. Facies plumbei coloris, squalida, lugubris, collabitur; nonnunquam tumet, atque hìc illìc rubet; cutis frigida et subfusca est, circa frontem dura intentaque, circa umbilicum macra fit; squalidi ungues livent et extenuantur.

Tandem, *instante morte*, nervi, maximè vultûs, distenduntur, vel resolvuntur; singultus et vorandi difficultas superveniunt; sudor frigidus inequaliter erumpit; oculi in orbitas recedunt, extrema et aures frigescunt; hiat miser, gravissimè et creberrimè spirat; vocem glutit, et ad imum lecti supinus delabitur, citò in mortem delapsurus.

Morbus, de quo agitur, hoc curriculum funestum modò celeriùs modò tardiùs absolvit; aliquandò, ante finem primae septimanae, laborantem jugulat; saepiùs autem longiùs producitur; symptomata diversa gradatim ingravescunt,

et aeger moritur plerumque circa diem ix, xi, xiv, xvii, xix, vel xx, aliquando signis putredinis nondùm instantibus : apud nosocomium Edinense aegram vidi, quae, etiam die xxxiii, mortua est.

DECESSIO.

Pessimo febris progressu absoluto, nunc de ejus decessione felici, pauca dicendum. Saepiùs idoneis auxiliis ipso initio strenuè admotis, impetus ejus, primo, vel secundo, vel etiam tertio die, omninò sedatur, signis omnibus, praeter aliquantulum languoris, quiescentibus.

Morbo etiam provectiore, remedia acriter adhibita haud rarò plurimum conferunt ad vim febris frangendam ; adeo ut calor, sitis, et pulsus imminuantur; lingua et cutis molliores fiant; dolores abeant; desiderium cibi, somnique dulces redeant ; et vires animi et corporis sensìm reficiantur.

Si ad tertium stadium febris perstiterit, et aeger ad sanitatem rediturus sit, linguae margi-

nes paulatim expurgantur ; petechiae abeunt, vel laetè rubent ; subitò post somnos reficientes, febriens quendam prae aliis cibum appetit ; vultus serenior nitet ; pulsus tardior, plenior, et mollior fit ; humores secreti et excreti fluunt ; firmantur vires ; aeger faciliùs loquitur, in lecto assurgit, et promptiùs se convertit.

Rariùs autem apud nostrates videmus istas insignes crises, quas antiqui descripserunt ; aliquando tamen, observantur sanguinis profluvia, efflorescentiae variae, urina uberior, sedimentum brevi depositura, alvi fluxus, sudor lenis, vel abscessus ; et haec potissimùm circa diem iii, vii, xiv, vel xx, accidunt.

Verùm enimvero, morbo hisce signis felicitèr finito, consequuntur aliquando, ex cerebri affectu, dira varia, saepè insanabilia ; fatuitas scilicet, gutta serena, vel surditas ; quae omnia ipse testatus sum. Paritèr aliquando febris locum capit dirus hydrops, phthisisve pulmonalis. Saepè quoque remissione fallace decipimur, et aeger, optimis signis praegressis, ex improviso

in stuporem illabitur ; vel nervorum resolutione aut distentione, subitò e vivis tollitur ; cujus ipse etiam exempla vidi.

SIGNA ABNORMIA.

Haec quidem plerumque sunt febris continuae symptomata consueta ; haud rarò tamen, occurrunt abnormia signa, morbi non propria, quae febris typum variant, aegrum plurimùm torquent, et sòlertiam medici mirum in modum fallunt ; quia saepè caeteris communibus indiciis oppugnant, imò etiam prorsùs contrariam medendi rationem flagitare videntur.

Febre ineunte, subinde accedunt signa *plethorae*, turbae minores virium et functionum, ictus arteriae fortior, tardior, plenior ; calor major ; lingua arida et valde rubra ; haec saepe unam alteramve seriem symptomatum sequentium comitantur.

1. Aliquando instant vultûs et oculorum rubor, lucis et soni intolerantia, dolor atrox capitis ; et *delirium ferox* maturiùs sequitur.

2. Neque rarò enascuntur dolor fixus alicubi thoracis, plenâ inspiratione auctus, et spirandi difficultas. Alios vexat dolor abdominis, tactu adauctus, nunc umbilicum, nunc dextrum vel sinistrum hypochondrium adoriens. Haec omnia congestionem, vel inflammationem alicujus visceris plerumque indicant; quae primò neglecta, saepiùs mortem affert, vel in mala insanabilia desinit.

Interdum assiduus vomitus, diarrhoea, vel signa dysenteriam referentia, urgent; interdum catarrhus, et tussis crebra oriuntur.

Nonnunquam generis nervosi incitatio peculiaris inter initia febris cietur; *delirio sui generis* stipata, nec penitùs *miti*, nec *feroci*; huic instant pervigilium assiduum, aurium tinnitus, loquela crebrior solito et confusa, summa irritabilitas, jactatio, vultus admodum sensilis, oculi vividi, ardentes, hinc illuc voluti; pulsus celerrimi, parvi, et debiles; manus, lingua, et caput creberrimè trementes: haec signa maximè ebriosis contingunt, ferè ipso febris initio,

saepiùs brevì occidunt, et pendere videntur propriâ irritabilitate cerebri et nervorum parùm intellectâ, sed statu alieno ab inflammatione, necnon a delirio communi mitiore.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Omnia, quae frangunt vires, ritè medici inter ea, quae corpus proclivius reddunt ad febrem, annumerant; horum praecipua sunt, morbi antecedentes, evacuationes immodicae, vel (solitae) suppressae, fatigatio animi corporisve, vigilia diuturna, longa inedia, victus justo tenuior, pravus vel putris; acria studia, et vita sedentaria; affectus animi contristantes; prae omnibus summus timor febris accipiendae.— Porro, Venus aut Bacchus immodicus; victus aequo lautior, et varius, qui plenitudinem noxiam inducit, et bilem uberiorem et acriorem

facit; quae, usu doctus, nullus dubito quin per se procliviorem hominem ad febrem reddat; imo etiam fortasse aliquando morbum excitet, et certè corpus et animum debilitet.

——————————Simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita. Vides ut pallidus omnis
Coenâ desurgat dubiâ? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat unà,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.

HORAT.

Inter causas praedisponentes necnon referenda sunt, aëris vitia parùm intellecta, sed contagio saepè faventia; coelum humidum et calidum, nempè typhum maximè gignens, qui aestati, et autumno contingit; contrà, humidum et frigidum, e quo synochus oriri solet, vere et hyeme.

Huc etiam recensenda sunt, immunditia humiditasque domi; vel apud naves, carceres, aut alia loca, quibus aër haud benè afflat; unde fit, inter pauperes urbanos, typhum potissimùm, et gravissimâ formâ, apparere.

Haud alienum est notare, homines, qui nunquam anteà febre laboraverant, et eos, qui inter pubertatem et annum quadragesimum aetatem agunt, aptiores esse ad febrem, quam aut majores, aut minores natu.

CAUSAE EXCITANTES.

His accedentibus, morbum faciliùs accendunt causae excitantes ; quarum praecipuae sunt, *Contagium*, acceptum ex aliis febrientibus, vel *fomitibus*, aut per pulmones inspirando, aut in ventriculum salivam devorando, aut fortasse nonnunquam per vasa cutis absorbentia.

Necnon *Halitus e corporibus plurimis* aëra imbuens, et exiguo spatio inclusus, qui, primò contagii expers, corruptus, hoc tandem gignit; pari ratione, oritur ex carnibus vel plantis in

exiguum collectis, maximè humore caloreque auxiliantibus.

Quinetiam *Frigus intensius*, corpori antè calefacto, aut frigescenti et quiescenti, post sudorem adhibitum; praesertìm aëre humido ventoque adjuvantibus. Nullus dubito quin frigus ipsum aliquando synochum gignat, qui forsan abiret in febrem contagiosam latè spargendam, nisi aegri aëre puro circumdentur. Hujus rei exempla saepiùs vidi apud naves bellicosas, ubi nautae excubias egerint, vel in foros furtìm sub dio dormierint.

Subindè etiam causae praedisponentes jam memoratae solae febrem forsan excitent; at nihiloseciùs ad contagii diros effectus semper spectandum est; et etiamsi talis observatio nil prosit, certè obesse nequit.

Quomodo hae causae genus nervosum laedunt et morbum inducunt, prorsùs ignoro; nil itaque habeo, quod proferam de naturâ et sede febris; neque omnino hanc difficillimam medi-

cinae partem illustrârunt innumerae ferè theo riae hactenùs editae; quas etiam memorare limites quibus contineor longè excederet. Quodcunque de *causâ proximâ* scripserunt Hoffmannus, Boerhaavius, Cullenus, Bruno, Darwinus aliique recentiores nil ferè ad tenebras, quibus implicatur, fugandas contulit.

Neque amplius docemur cadaveribus inspectis; viscerum enim pravitates effectus potius quam causa mali existunt; nunc hoc, nunc illud, saepius nullum omnino viscus corrumpitur.

DIAGNOSIS.

Omnes ferè morbi febriles ineuntes adeo sunt inter se consimiles, et frequentissimè tam

implicita sunt indicia, ut aliquando, quisnam futurus morbus sit, ephemera an typhus; febris remittens an intermittens; ad phlegmasias, exanthemata, an ad profluvia pertineat, vix peritissimus primo praesagire possit. Necesse est igitur ut sedulò indolem mali invadentis scrutemur inter noxas praedisponentes et excitantes; et prae omnibus, si contagium jure suspicemur acceptum fuisse, oportet ut fontem ejus accuratissimè investigemus inter morbos tunc temporis grassantes. His benè perpensis, paucis horis elapsis, aliquid forsan oriatur quod ex fumo lucem daret, tenebras fugaret, naturamque morbi pleniùs illustraret: et interim cautè agendum est.

Scire licet typhum mitiorem interdum perquam obscurum esse plures dies, saepe catarrho simillimum, simul maximè contagiosum; ingravescens morbus facilè per signa jam tradita discernitur.

Aliquando, praesertim iu juvenibus et plenioribus, indicia inflammationis magis con-

spiciuntur; at vero haec apprimè distinguenda sunt ex verâ phrenitide, pneumoniâ, hepatitide vel rheumatismo, singulorum propriis signis; in his plerumque dolor localis primò graviùs torquet, et vires minùs jacent.

PROGNOSIS.

Principio aggressum gravem esse, et discrimen haud leve futurum cognoscatur, functionibus et corporis et mentis admodum laesis, altâ vultûs anxietate, horrore, crebris tremoribus, summâ praecordiorum oppressione, denique pulsu exiguo, frequente, inequali.

Secundo stadio, periculum insignitur, ubi pulsus exsuperet CXX; ubi adsunt acrior calor,

lingua valdè arida, rubra vel fusca; ubi caput gravitèr dolet, aures sonant, oculique lucem refugiunt; aut, si pervigilium stupor aut deliriu̇m maturiùs instent; si dolor abdominis, thoracis, vel vomitus assiduus urgeat, si secretiones et excretiones cohibeantur; dein, primâ hebdomadâ elapsâ, si frigescat et inhorrescat aeger.

Tertio stadio pariter timendum, si vires maximè prosternantur, si oculi lachryment, vel caligent, vel distorqueantur, vel altera vel utraque pupilla dilatetur, et inter dormiendum palpebrae non ritè coëant; si aeger insensilis est, mussitans, voce ferè amissâ, et supinus cubet, neque vorare possit. Parum aut nil sperandum, si pulsus vix enumerandus sit, si digiti floccos carpant, anhelitus aegrè trahatur, aut resolutio vel distentio nervorum instet; si abdomen tumeat, et excretiones praeter voluntatem elabantur, aut corpus inaequaliter insudet; haec enim omnia gravissima sunt indicia, et summum discrimen denotant; èo magis, si signa putredinis comitentur.

Indiciis prolatis quae periculum ostendunt, proximum est ut eas notas proferam, quae salutem aegro pollicentur. Felix igitur exitus est futurus, ubi febris jam mitescere coeperit, et signa decessionis jam dicta adsint. Pari modo non periclitatur aeger, si mens ei constet; si non difficulter spiret, et facilè se in lecto vertat, vigil interdiu, noctu facile dormiens; si abdomen sit molle et expers doloris; si insuper dejectio alvi probè figurata sit, et fusca, vel si leniter fluat, neque supra modum foeteat. Bona signa etiam sunt, cutis mollis et aequaliter insudans, urina copiosa, et sedimentum deponens, abscessus foràs eminens, vel pustulae apud labra vel nares erumpentes. Neque terrere debet febris, si arteriae infra cxx micent, et lingua ferè naturaliter niteat, si adsit desiderium cibi, si nulla signa inflammationis internae urgeant; denique, si surditas modica accedat, aliis sensibus parum hebetibus.

CURATIO.

Nunc ad curationem transeundum est, obiterque monendum est, febrem conatum naturae medicatricem nunquam habendam esse, neque auxilium ad corpus malo aliquo liberandum. Antiqui sane, et quidam recentiores hanc sententiam ineptam amplexi sunt; et hinc curatione debili inerteque saepius usi sunt. Experientia autem nos planè docuit, febrem saltem amicum incertum et fallacem esse, semper tutiùs acriter, ad instar inimici, depellendam. Ad hunc finem igitur, medendi consilium, ut opinor, quadruplex est.

I. Morbi cursum quam primum sistere,

II. Febre nihilominus progrediente, vim ejus sedare, et signa molestiora et abnormia levare.

III. Debilitati et putredini occurrere.

IV. Postremo, decessione febris effectâ, novam accessionem praecavere.

Consilium primum et maximi momenti optimè vomitoriis et affusione frigidâ absolvitur, auxiliis validissimis ad catenam morbidam confestim solvendam; et de singulis in animo est priùs pauca generalia proponere, quàm curationem propriam singulis stadiis tractarem.

Vomitoria igitur febricitantem principio juvare diversis modis videntur; quorum alii manifesti, et facillimi intellectu, alii satis obscuri et difficiles explicatu sunt.

1. Perspicuum est ea ventriculum et duodenum subitò et plenè expurgare cruditate et sordibus, nunc gravibus irritamentis.

2. Stimulant jecur, pancreas et alia secernentia, unde eliciuntur humores eorum qui sive

sint in statu naturali, sive acriores solito, meliùs nunc rejiciuntur quàm resorbentur.

3. Insigniter et vehementer etiam alia viscera abdominis et thoracis agitant, et prae consensu nervorum, cerebrum et corpus universum; eòque tandem equilibrium naturale sanguinis restituitur, et halitus cutis, pulmonum, et cavorum renovatur; qui calorem moderatur, et cor atque praecordia expedit molestiâ. Haec omnia pariter determinationes et congestiones morbidas praecavent, spasmos torporesque solvunt, denique, felicissimè omnes actiones et functiones naturales redintegrant. Saèpius medicis classis Regalis contingit videre plures nautas vespere febricitantes, qui, his remediis admotis, proximo die sanantur, et protenus ad solita officia obeunda valent, nullo alio auxilio egentes. Hoc confirmant doctissimi BLANE, TROTTER et KELLIE*.

* Blane on Diseases of Seamen. Trotter's Medicina Nautica. Kellie on the Tourniquet.

4. Denique, nunquam vidi aliquid mali e vomitoriis oriri, etiam cum impetus sanguinis versus caput auctus fuisse visus sit; imo cynanchen, ophthalmiam, aliasque inflammationes saepius vidi penitus per vomitum tolli; nempe equilibrio sanguinis restituto. Certò oportet caveamus, si proclivitas ad apoplexiam subesset, aut hernia haud facilis reductu, aut gravitas, aut ventriculi irritabilitas insolita; sunt etiam aliae atque aliae proprietates * in hâc re, quas scrutari apprimè refert medici; novi enim ducem classis, qui nunquam evomere potuit, etiamsi quantitatem ferè periculosam tartritis antimonii, iterum iterumque sumpsisset. In hujusmodi exemplis praestant forsan affusio frigida, cathartica, et alia, mox recensenda.

Affusio Frigida remedium quoque efficacissimum est ad typhum invadentem discutiendum; quâ tamen confiteor me rariùs initio usum esse, sed ex quo ejus effectus felices intellecti

* Heberden. Comment. cap. 98.

sunt, medici perinsignes comprobârunt summum fructum inde percipiendum; uti optimè patet ex scriptis CURREI, ingenio literisque praeclari.

Primo aut secundo die adhibita, morbum saepè penitus solvit; idem etiam tertio aut quarto die, aliquando evenit; sed seriùs admota raro finem malo tam citò imposuit. Itaque quo citiùs ad affusionem confugiatur, eo meliùs. Vespere optimè proderit, cùm calore exardeat, areatque cutis; sed etiam iteranda, quandocunque calor plurimùm urgeat.

Nequaquam ad hoc auxilium confugere licebit, ni corpus praeter solitum caleat, cùm e sensu aegri, tùm thermometro admoto. Nocebit etiam, si aeger valde timeat, si tussi vel catarrho laboret, si dolores rheumatici, vel inflammatio alicujus partis torqueant; sed praesertim sudor lenis affusionem vetat, quia ipsius vaporatio brevi corpus refrigerabit; scire licet vaporem, (*calorici* capacissimum ut chemici compererunt,) undique id sorbere, neque hoc naturae opus temerè esse cohibendum.

Quod ad caloris gradum attinet, ex XL°: instrumenti Ft. ad LXV° variare potest.

Lenius remedium est affusio tepida, sed minùs efficax ad febrem discutiendam; hoc consilio, a gradu LXX ad XCVII eâ utendum.

Quomodo affusio tollat febrem, nil certi habemus: planè summovet calorem; et, ut vomitus, forsan proficit, concutiendo et incitando nervos vasaque, et *determinationibus* morbidis obviam eundo. Certe plerumque paulò post affusionem rite institutam, pulsus tardiores et validiores, spiritus liberior, lingua humidior evadunt; anxietas evanescit; calor plurimis gradibus decrescit; sitis decedit; cutis halitus restituitur; et dulces placidique somni conciliantur.

PRIMUM STADIUM.

His generalibus de vomitu et affusione frigidâ praemissis, nunc ad methodum medendi singulis stadiis propriam, quâ ipse saepiùs felici exitu usus sum, descendam. Hoc autem necessarias facit quasdam iterationes, vix profectò

evitandas; si quidem in animo habendum est, nos aliquando non in auxilium advocari, antequàm secundum, imo etiam tertium stadium institerit; quae subinde, re ita se habente, partem curationis primo stadio idoneae flagitant, (at manu parciore et cautiore adhibendam).

Adulto vegeto, quàm primùm post aggressum, solitus sum felicissimo eventu adhibere tartritis antimonii grana duo in aquâ soluta, quae unâ vice assumpta, ferè semper vomitum ampliorem cient, et apud nostrates optimè prosunt.

Si, quod rarissimè accidit, nimis copiosus vomitus evadat, et pallor et languor sequerentur, dandum paululum spiritûs distillati et aquae; vel spiritûs cinnamomi semiunciam, cum Tinct. opii gut. xv; et, si nimis crebra alvi ductio incitetur, addendum cretae scrupulum. Haec, ut saepissimè expertus sum, rariùs oriuntur, si unâ vice amplior quantitas jam dicta statim assumatur, quàm ubi exiguae subinde iteratae, quae nauseam cient, adhibeantur; ita adhibita vomitoria saepe inutiliter vires infirmant, neque perficiun-

tur agitatio subita, aliique effectus salutares, quae, ut dixi, saepe penitus morbum discutiunt.

In debilioribus, et ubi mobilitas vel irritabilitas ventriculi, vel alvi fluxus, maturè urgeant, ipecacuanhae pulveris grana XV ad XXV, vel ejus vini drachmae sex ad decem antimonio praestant, et haustus suprà dictus sequatur.

Vomitus semper utilior est, si nil bibat aeger, dum vomere inceperit; et si tardus fuerit ventriculus, immisso in gulam digito vel pennâ, meliùs vomitus ciebitur, quàm iteratâ dose, quae forsan aliquando necesse esset: Tandem vomitu incipiente, haud sine fructu pleniùs assumatur infusum calidum et tenue anthemidis nobilis.

Quod ad tempus vomendi attinet, vespertinum optimè convenit, quum aeger multum sordis biliosae ejicit, et brevi meliùs se habet; sed aliquando magnopere levatur, nihilo corrupto ejecto, uti observavit Sydenhamus.

Ventriculi turbis sedatis, accipiat aeger III ad VI grana submuriatis hydrargyri; et decubiturus, hunc haustum; mox inde epotâ semilibrâ

decocti hordeati vel avenacei, vel seri lactis calidi.

℞. Aquae acetitis ammoniae unc: fs
Vini tartritis antimonii
Spiritûs aetheris nitrosi utriusq: gut: XL.
Aquae cinnamomi drachm: VI. m. f. h.

Postridiè manè, multò magis valere aeger solet; pulsu lentiore; linguâ et cute humidis mollibusque; vultu magis naturali; et calore imminuto. Sed nunc, nisi plures dejectiones habuerit, sumat alicujus salis medii drachmas sex, vel pulveris jalapii semidrachmam, et iterum minorem ejusdem modum, tertiâ quâque horâ, donec alvus plenissimè solvatur.

In validioribus, submurias hydrargyri est iterandus si opus sit; nam inter principia semper notavi alvum astrictam plurimùm nocuisse; contrà, liberrimè solutam admodum juvâsse; prorsùs igitur assentior sententiae viri summi JACOBI HAMILTON, qui optimè de hoc gravi argumento disseruit.

* Hamilton on Purgative Medicines.

Hâc curatione nil haereo asserere me complures febres statim intercidisse, etiam ubi constiterit contagio has ortas fuisse, apud Naves *Harpy, La Nymphe, Boadicea, Superb*, &c.; et collatis febricitantium exemplis, quae in tabulis conscribere solebam, comperi ex CXCII aegris, CXXXII modis supra dictis curatos, primâ hebdomadâ convaluisse; ubi primo vel secundo die post febrem ineuntem haec curatio instituta fuerit. Posteà, incertior est ejus fructus; sed seriùs adhibita, catenam morbidam aliquando penitus fregit, et fere semper infirmavit.

SECUNDUM STADIUM.

Si non ante secundum stadium, aegrotum viserimus, auxiliis jam dictis, plùs minùsve, pro viribus, cautè est utendum; quòd si morbus aliquot dies perstiterit, nulla hactenùs prolata certò pollicentur ejus resolutionem; quae tamen saepe efficitur, et semper tentanda est. Si nihilominus febris progrediatur, nunc locus est regimini antiphlogistico, remediisque idoneis ad

ad calorem et impetum febrilem moderandos; sed ni apprimè opus sit, nempe, *signis abnormibus* (1, 2.) acriter urgentibus, nequaquam convenit venam secare.

Omnia stimulantia vitanda; qualia sunt calor, colloquia, cogitatio, strepitus; quies praecipienda; et si opus sit, aures conferciendae: an tenebrae praestent modicae luci, anceps haereo; alium enim illa, alium hae, magis turbant; " optimum itaque est" ut scripsit Celsus " utrumque experiri, et habere eum qui tenebras " horret, in luce, eum qui lucem, in tenebris."

Aër semper purissimus est servandus; cubiculum amplissimum debet perflatum continuum aurarum frigidularum accipere; quae tamen non rite ex hiatu affiant ipsi aegro; aliter frigus non metuendum. Gestatio sub dio nequaquam laedit febrientes; qui, pro re natâ, bene moveantur hinc aliorsum, devecti enim ex navibus ad nosocomium nunquam patiuntur, et plerumque recreantur.

Ad munditiam summâ curâ attendendum est; et non modo ad corpora et vestes aegrotantium respiciendum, sed etiam ad eorum cubicula et lectos: Stercus et urina citissimè sunt amovenda; perutile itidèm est cubiculum fumigare vaporibus ex acidis nitrico et acetico; sic enim cavetur, ne contagione grassetur morbus; et quum compertum sit ignem optimè perflatum aëris promovere, aliquandiu quotidie utiliter focus accenditur, fenestris patefactis.

Nunc, si nil obstaret, solebam in hoc stadio adhibere (praesertim ubi signa plenitudinis et inflammationis adessent) nitratis potassae grana x ad xx cum tartritis antimonii sextâ vel quartâ parte grani, quartâ quâque horâ; si nimis irritent, quod rariùs accidit, haustus effervescens vel supertartris potassae cum carbonate sodae anteponatur; vel si typhus *gravior* planiùs notetur, aqua acetitis ammoniae cum misturâ camphoratâ, et spiritu aetheris nitrosi.

Alvus, in decursu hujus stadii, semper quotidie bis pleniùs descendere debet, ope sub-

muriatis hydrargyri, et salium mediorum; quales sunt sulphas, vel phosphas sodae, sulphas magnesiae, &c. Si his rebus non laxetur venter, pulvis jalapii compositus et enemata, maximo cum commodo in auxilium vocentur; nunquam timendum plurimum alvum expurgare, et oportet subinde abdomen tractemus, et nosmet dejectiones inspiciamus; saepe enim ab abstantibus decipimur, qui credunt non opus esse dejectionibus plenioribus, quippe quia aeger vix cibos solidos devoraverit.

Opii usum laudare nequeo primis stadiis, ni id postulaverint signa abnormia; saepiùs enim excretiones et secretiones impediendo nocet, tùm calorem, sitim, vertiginem, nauseam, doloremque capitis adaugendo: itidem inertiam alvi inducit, aeque ac absorptionem acris bilis aliarumque sordium, quae rectiùs ejiciuntur: saepiùs quoque usu doctus, cognovi opium potiùs somnos arcere, quam conciliare. Quod si cogar hoc auxilium dare, semper adjungo

vel submuriatem hydrargyri, vel oxydum antimonii cum phosphate calcis, prout opus esset; et postridie solicitus alvum purgo. Jam primùm equidem medicinam faciens, liberrimè opio usus sum initio morbi, ad somnum moliendum; sed malis suprà dictis perspectis, hanc consuetudinem, (nisi in exemplis mox memorandis), omnino reliqui; neque dubito quin Brunonis discipuli, opii et incitationis nimio et intempestivo usu, in morbis acutis multos occiderunt.

Calore novae accessionis urgente, affusio vel lavatio frigida aut tepida, adhibenda est; et siquando ardeant quaedam prae caeteris partes, linteola aquâ frigidâ, vel aceto imbuta, imponenda. Neque multis vestimentis strangulandus aeger, sed admodum levibus tantummodo velandus.

Ad sitim restinguendam, et ad diluendum, potus frigidus tenuisque nunc, petente aegro, liberè dandus, frequentissimè mutandus; si quidem brevi unum fastidiat, neque omnes febri-

entes eundem appetunt. Utilissima sunt decoctum hordei; cerevisia tenuis; aqua pura, vel quae pane tosto, melissâ, vel pomis crudis concisis, vel tamarindis imbuta est. Eòdem valet potus ex acido citrico aut tartarico confectus, vel ex conservâ ribesiorum solutâ; sed prae omnibus aptissimus et plerumque gratissimus est aqua carbonatis sodae, cum succo limonum et syrupo *capillaire* dicto, subitò commista, et jam spumans epota.

Quod ad cibum verò attinet, aegri nunc temporis nec multum appetunt, nec facilè ferunt, nec ritè concoquunt; hoc stadio igitur parcissimè concedendus. Aptissima sunt poma assa, aurantia, uvae, fructus alii maturi, et decocta farinarum; ac febre quidem increscente, hic solus idoneus cibus est: rectiùs enim inquit princeps medicorum, " Impura corpora, quò " plus nutriveris eò magis laedes, et faciliùs est " potu refici, quàm cibo."*

* Hippocratis Aphorismi.

SIGNA ABNORMIA.

Haec sunt remedia secundo stadio idonea; sed antequam ad tertii curationem transirem, nunc loquendum est de auxiliis propriis quae haecce signa postularent; quia eorum quaedam maximè sub initio febris eveniunt.

Scilicet, symptomata plethorae et incitationis majoris comitantia seriem 1^m^. vel 2^m^. detractionem sanguinis primò plerumque expetunt, quae saepe tutò adhibetur, aegro praesertim juniore. In hujusmodi exemplis igitur unciae VI ad XII ex amplâ plagâ cautè semel eliciendae sunt pro effectibus, atque aegri viribus et consuetudine. Cavendum autem, ne nimiam sanguinis abstrahendo, magnam debilitatem, semper valdè timendam, inducamus: interdum implicatio rerum nos inopes consilii facit; et quid faceremus, vena incidatur necne, semel, an saepius, penitus dubitamus; si enim aegrotus debilior esset, et aliquot dies febricitaverit, vetari videtur haec exinanitio; dum con-

trà metus est, venâ non incisâ, ne inflammatio occideret: re ita se habente, tutiùs sanguis à parte dolente solummodo, hirudinibus vel cucurbitulis cruentis, prout opus esset, detrahitur*. Postea fomenta et amplum vesicatorium quàm primùm parti admovenda sunt, caeteris jam dictis remediis simul adhibitis.

Si *delirium ferox (primi generis)* accedat, arteria temporalis ejus lateris, cujus oculus magis rubet, summo fructu inciditur ad sanguinis uncias IV detractionem: tunc juvant hirudines, vesicatorium nuchae admotum, et pediluvia; dum ipsi capiti raso, aqua frigida, vel acetum, spongiâ, vel linteolis applicetur, vel etiam spiritus distillatus, qui vaporatione refrigeret.

Delirium secundi generis minimè, me judice, exinanitionem hujusmodi desiderat; nam in uno exemplo mors brevi consecuta est venam sectam a medico, die febris tertio; et ipse vidi sanguinem detractum prorsus vacâsse superficie coriaceâ. Hic potiùs utendum calidario,

* Celsus de Cucurbitulis.

vel lavatione tepidâ: postea caput rasum calidâ fovendum, et vesicatorium ei applicandum: optimè etiam prosunt alia, quae conveniunt *delirio miti*, (quod saepe oritur ex inopiâ sanguinis in cerebro). Qualia sunt opium, castoreum, spiritus aetheris sulphurici, camphora similiaque; porro vinum paulatim auctum.

Tussis, quae saepe multùm febricitantem vexat, trochissis ex opio, prout opus sit, levanda est; vel tincturae opii guttis sex sumptis, mucilagine aliquâ, uti seminum lini, altheae, vel mimosae niloticae; vel lacte amygdalae. Noctu, si opus sit, opii granum unum vel duo cum antimonio juvabit; et ad sputum promovendum inhalet aeger vaporem aquae tepidae.

Vomitus. Si biliosus esset, primò adhibenda vini ipecacuanhae semiuncia; postea purgantia jam tradita. Si ex acore oriatur, semidrachma magnesiae cum spiritûs ammoniae compositi guttis xxx, ex aquâ cinnamomi: si gastritidem suspicemur incipientem, hirudines

plurimae, vesicatoria et fomenta admovenda sunt. Cùm ex merâ debilitate vel irritabilitate provenerit, haustus salinus jam spumans benè sumitur singulis horis cum opii semigrano sub pilulae formâ. Vidi aliquando drachmam sulphatis magnesiae auxilio esse, singulis horis, assumptam, ex infuso rosae gallicae, caeteris frustra adhibitis. Aliis magis conveniunt aether sulphuricus et linimentum camphoratum cum tincturâ opii, regioni epigastricae admotum, et fotus calidus: his nil proficientibus, tandem vesicatorio utendum.

Diarrhoea. Cavere licet, dum vires perstent, ne alvus coerceatur, quae nuper, sponte, leniterque fluxerit; nam saepe praestat ut auxiliemur naturae. Debemus ipsi dejectiones inspicere; si enim parcae et mucosae sint, sales medii, vel rheum palmatum rite primò dantur; si albescant, submurias hydrargyri; rarò quidem nocebit magnesiae scrupulum cum pulveris rhei gr. xv ex aquâ cinnamomi, assumptum, priusquàm astringentia adhibeantur.

Postea, diarrhoeâ perstante, juvabit potio carbonatis calcis cum tincturâ opii, vel electuario mimosae catechu, interdiu ; et noctu, horâ somni, pulvis ipecacuanhae compositus. Saepe obscura inflammatio membranae mucosae notas infelices gignit, dysentericis similes ; itaque, si abdomen, tactûs impatiens, tumeat et doleat, utendum hirudinibus, fotu et vesicatoriis.

Difficultas urinae, quam incitant vesicatoria, solvitur diluentibus, solutione mimosae niloticae cum camphorâ, oleo ricini, enematibus, fomentis, et opio.

Si *abscessus* in febris decursu extrorsum promineat et fluctuet, sine morâ incidendus ; nunquam repellendus, ne *metastasis* ad partes vitae necessarias fieret : et nequaquam dubito quin ea saepe accidat, id quod profectò in variis morbis acutis visum est : non sanè opinor materiam, sed actionem morbidam ab alterâ, ad alteram partem transferri ; cujus rei quaedam documenta subjungere liceat.

Memini apud nosocomium Sancti Thomae, duo exempla inflammationis membranae trachealis, cynanchen parotidaeam, subitò decedentem, consequentis, quae (medicamentis et *bronchotomiâ* incassum tentatis) repentè aegros jugulabat, etiamsi uterque validissimi habitûs esset. Sectis cadaveribus, membrana nova in animae fistulis inveniebatur, ei similis quae spiritum impedire solet in cynanche tracheali.

Vidi etiam, pneumoniâ subitò decedente, magnum abscessum illico factum juxta anum, (tandem in fistulam desinentem) et quem suppurantem ferro secui; quando omnia signa pectoris oppressi evanuerunt. Hoc accidebat apud navem bellicosam *Euryalus* nauclero, qui triennio, ulcere infeliciter sanato, et phthisi pulmonum repentè illum adoriente, Londini mortuus est.

In nave *Iris* apud oras Africae, Doctore G. Kellie primo medico, me ipso tunc temporis secundo, curavimus juvenem gallicum

bello captum, cui post pollicem amputatum, febris, cum signis pneumoniam referentibus, accidebat; omnia in pejus ruebant, pulsu CXL, spiritu laborioso, et tandem vespere aegrum reliquimus, parum sperantes illum vivum fore mane. Valde tunc mirabamur eum faciliùs spirâsse, pulsu equo et tardiore; et pede inspecto, invenimus, sub cuticulâ plantae, circiter uncias quatuor puris tenuis; quod nocte ultimâ factum erat; siquidem pridie, exigua saniei copia solummodo in vulneris superficiem conspiciebatur. Pulmonibus levatis, citò postea aeger convaluit, et vulnus sanatum est.

TERTIUM STADIUM.

His prolatis de signis abnormibus, nunc agendum de pessimo stadio, in quo, debilitate increscente, aegri vires summâ curâ sustinendae sunt, ne succumberent; et hoc stadio aeque ac in aliis, varia assiduè adhibenda sunt, quae conjuncta optimè conveniant, et

maximè valeant, etsi separatim parvi videantur.

Quàmvis indicia inflammationis adhuc perstent, locus non est venaesectioni; at nonnunquam (sed rariùs) ipso initio hujus stadii, si res urgeat, duae vel tres hirudines, et postea vesicatorium, parti dolenti et incalescenti aptè admoveantur, ut apud curationem signorum abnormium jam fusiùs dixi.

Si vomitum ciere necesse esset, prae nauseâ, ore amaro, bilis vomitione; at praesertim si non ante adfuissemus, ventriculus tutò exoneretur vini ipecacuanhae semiunciâ, ni virium ultima resolutio vetet.

Alvus debet semel vel bis die leniter descendere; ad quod, si opus sit, duo vel tria grana ampliùsve submuriatis hydrargyri, pro re natâ assumpta, optimè valebunt; et sales medii ex aquâ menthae vel cinnamomi; vel infusum sennae et tamarindorum: subinde etiam enemata in alvum cum summo fructu infunduntur. Si urina non reddatur, fovere pubem aquâ tepi-

dâ debemus, quâ incassum tentatâ, illam elicere ope idonei instrumenti necesse est; aliquando enim, prae torpore, non sentit aeger stimulum vesicae plenae.

Si calore, totum corpus, vel quaevis pars exardeat, lavatio frigida; sed viribus valde imminutis, tepida, adhibeatur.

His factis reliqua spes omnis posita erit in leniter febrientem stimulando, ad quem finem expediunt, mistura camphorata cum acetite ammoniae et spiritu aetheris nitrosi; vel haustus effervescens (e citrate potassae) cum spiritûs cinnamomi, aut nucis moschatae drachmis duabus; aut idem cum tincturae lavendulae guttis triginta. Pariter conveniunt olei volatilis cassiae guttae duae, cum saccharo, vitello ovi et aquâ paratae.

Jactatio, pervigilium, delirium mite, et singultus saepe levantur aquâ tepidâ capiti, vel pedibus admotâ; prosunt etiam guttae triginta ad sexaginta tincturae opii; et memini castorei scrupulum cum spiritûs aetheris sulphurici

drachmâ ad somnos conciliandos multum contulisse.

Sed omnium incitantium potentissimum est *Vinum*, et plerumque aegro gratissimum. Incipiendum est è parvis quantitatibus, (paulatim augendis) et dilutis vel aquâ frigidâ, vel variis jam memoratis. Medius modus est plerumque circiter semilibram ad libram indies; sed quantitas idonea, effectibus ejus, morbi diuturnitate, proclivitate ad putredinem, desiderio aut fastidio, et consuetudine ipsius aegri omnino pendebit. Si ventriculum non perturbet, neque calorem neque delirium, nec rubores faciei augeat; si aeger reficiatur, avidè hauriat, et plus petat; si pulsus tardior, plenior neque frequentior inde fiat, somnique concilientur; tunc tuto et aptissimo est auxilio; tunc liberiore manu meracius dilutiusve porrigendum.

Si ventriculus aut palatum vinum respuat, spiritus gallicus cum aquâ, succo citrico, saccharo et moschatâ myristicâ, vel aliquando cerevisia meracior, concedantur.

Hoc tempore parcè sumat aeger jusculum carnis gallinaceae, vel gelatum pedis vitulini; vel farinas quasdam ex plantis derivatas, (quae anglicè vocantur, *sago*, *tapioca*, *arrow root*) coctas, et paratas cum saccharo vinoque, vel spiritu distillato; etiam utatur fructibus gratissimis ad libitum. Si vires maximè prosternantur, et torpor vel stupor adsit, necesse est, leni sermone, aegrum subinde solicitare, ut haecce alimenta blanda capiat, quae, ventriculum stimulando, et acria in intestinis diluendo, nonnunquam adjuvant, etiamsi non penitus concoquantur: aptissimè sorbeantur ex calice longo tubo instructo. Cavendum autem simul, ne ventriculum gravemus; neve dulces levesque somnos turbemus, qui saepè optimè aegrum recreant, et febrem felicissimè solvunt. Neque denegandi sunt alii cibi si nunc vehementer exoptet febriens; potiùs consulendum ejus desideriis, quae saepè cum linguâ nitente, salutis reducis sunt prima indicia; et ventriculo tempestivè adjuto, corpus universum

cito beneficii particeps fit. " Optimum medi-
" camentum, inquit Celsus, est cibus opportunè
" datus, qui quando primùm dari debeat,
" quaeritur."

Praeterea multum valebit aegrum hortari ut sit bono animo, et alio omni modo tollere et revocare ejus animum, " spemque me-
" tumque inter dubium." Est itaque medici et adstantium simulare spem vultu, et mollibus blandisque sermonibus, fiduciam jacentem erigere: pariter monendi sunt cognati, (qui saepe flebili voce atque ploratu, metum mortis injiciant), ut nil dicant nisi quod spe salutis consoletur. Interdum sanè, morbo diutius perstante, observavi hos adstantes de salute aegri tandem penitus desperare, et eventum funestum tranquillè expectantes, auxilia necessaria omittere; eòque ni assidui intersimus, et eos ad officium excitemus, miser prae tali incuriâ cito succumberet aliter forsan sanabilis. Nunquam ergo, vitâ ipsâ perstante, desperandum, neque molimina remittenda; mirabilia enim exempla

salutis redeuntis, post ultima febris pericula, haud rarò contingunt.

Febre jacens creberrimè invisendus, et attentissimis oculis saepissimè contemplandus; magnae enim improvisaeque mutationes nonnunquam puncto temporis accidunt; atque, quod nunc optimo est auxilio, paucis horis elapsis, pessimo sit exitio; nempè alvus vel sudor colliquans aliave nova mala inopinata oriri possunt; imò etiam ex remediis jam adhibitis. Contrà occasiones opportunae aegro succurrendi aliquando repentè eveniunt, quae brevi elabantur, nunquam fortasse rediturae.

Apud navem *Harpy*, foemina, circiter mensem post partum, febre contagiosâ correpta fuit; et nullo emetico (propter puerperium recens), primò adhibito, fere ab initio ventriculus cibos, vinum atque medicamenta statim respuit, prae irritabilitate, quam nihil potuit sedare. Omnigena remedia frustrà tentata sunt ad vomitum cohibendum, et misera

delapsa est in maximam debilitatem, ut die XVII a febris accessione, eam mortuam esse mihi nunciabatur. Statim anxius accurri: pulsum conquievisse cognovi; facies et labra sua pallescebant; non spirare videbatur; sed adhuc cor ipsum sub manu meâ saliebat, quo ipso puncto temporis, spiritum distillatum et aquam tepidam auxilio advocavi, id quod ope cochlearis, aegrè in gulam intromisi. Sequebantur faciei nervorum distentiones; aegra ab imo pectore suspirium trahebat; sedulò invigilabam; potum stimulantem subindè adhibui, et brevi pulsum ad carpum percepi. Jam *crisis* adfuit; ventriculus penitus exhaustus ab actione antecedente abnormi, non amplius valuit, ut olim, liquorem supra dictum rejicere, quo nunc cautè et assiduè admoto, aegrota exinde convaluit, sed tardiùs; et non ante diem sequentem loqui potuit, aut facilè vorare: ei lactis secretio a febris initio defuit, sed infans alitus fuit lacte caprino.

De medendi ratione signis putredinis acmodatâ restat dicendum.

SIGNA PUTREDINIS.

Siquando symptomata denotent humores ad putredinem proclives, corpus omnino est impar ulli sanguinis jacturae subeundae; jamque aliquando lugere liceat indicia antecedentia nos ad venam incidendam coëgisse. Stercus autem nigrum, biliosum, et graveolens, pessimo est irritamento corpori, et cautè ejiciendum. Saepe solebam mirari quanta moles tunc dejicitur, itaque nisi alvus quotidie descenderet, adhibeantur enemata quae simul diluunt foventque: rectè etiam, si opus sit, assumat aeger granum unum vel duo submuriatis hydrargyri, et infusum tamarindi indicae cum tincturâ rhei vel sennae. Sed tantum moliendum est justum et modicum profluvium, siquidem ubi ad ultima ventum sit, pessima est alvus colliquans et semper quamprimùm comprimenda, opio et aliis, suprà positis.

Nunc, viribus magis labentibus, et corpore frigente, *cinchona officinalis* admodum aegro

opitulatur; primùm decoctum ejus cum tincturâ compositâ, et acido sulphurico aromatico conjunctum. Oportet dare tantum cinchonae quantum sine fastidio sumi possit, et pulvis ejus sanè anteponendus, nisi aeger fastidiat aut vomitu rejiciat; et si neque pulverem neque decoctum retineat, tinctura cum aromaticis et vino commista adjuvat, ut saepe expertus sum: vel decoctum cum pulvere admistum, semel vel bis quotidie, in alvum bene infunditur.

Hoc tempore vinum Madeirense, vel Hispaniense, vel rubrum Lusitanicum sensim augeatur ad duas, imo aliquando ad tres libras quotidie, meracius, vel cum jam recensitis dilutum. Bibat etiam aeger serum e vino confectum, cerevisiam meraciorem, quae *porter* vulgo vocatur, aut liquores apud nostrates *perry* et *cyder* dictos, potumque gratissimum suprà descriptum acido carbonico spumantem. Prodest quoque ut aeger nunc, aurantia et alios fructus sive maturos, sive saccharo conditos, uberiùs devoret, si nil obstat.

Inter remedia quae nunquam negligenda sunt, et quae optimè putredini occurrunt, summa munditia, vapores acidi, et prae omnibus aër purus et frigidus maximi erunt, et ad aegrum restituendum, et ad tuendam sanitatem aegro ministrantium. Manus faciesque aegroti saepe sunt lavandae aceto cum spiritu lavendulae, et curantem oportet assiduè invigilare in febribus diuturnis ne exulceretur cutis longo decubitu, praesertim ubi urina praeter voluntatem elabatur. Hoc malum semper periculi plenum est, neque raro mortiferum: ad praecavendum, opus est lectum stragulaque frequenter purgare et novare; lumbos et nates leniter lavare, et amyli pulverem iis inspergere: cuti jam diruptae coagulum aluminosum jure admovetur.

Hoc aegri statu a vesicatoriis, (praesertim artubus admotis), semper est abhorrendum, citissimè enim gangraenam faciunt; cujus rei exemplum vidi, nempe, puellam formosam annos undecim natam, quae tandem, (licèt jam

convalescebat), mortua est, die XXVIII a febre ineunte, ex gangraenâ ortâ vesicatoriis et sinapismatis priùs adhibitis " ad vim vitae " incitandam;" id quod locutus est ipse curans medicus ! !

DECESSIO.

Tandem inclinatâ et decedente febre, ad firmandas vires et novam accessionem praecavendam, semper cinchona officinalis opportunè adhiberi debet, ter quaterve die; et acido sulphurico aromatico juncta, omnium roborantium, quae medicina praebet, est praestantissimum. Si ventrem comprimeret, pulveris rhei palmati grana quinque, si nimium resolveret, tincturae opii guttae sex, rectè adduntur. Si male dormiat aeger, opium vespertinâ horâ non injuriâ nunc temporis adhibetur.

Cum aeger certiùs convalescere inceperit, niti strenuè debemus ne iterum morbus propter imbecillitatem redeat, et perstudiosè considerare quid ferre valeant, quid recusent vires.

Alvus solutior quàm astrictior servanda; quòd si nimis fluat, statim compescenda, ne profusio convalescentem debilem tenuemque ex improviso tollat.

Nunc diaeta levis, nutriens, et facilis concoctu esse debet; cibus tamen eâ moderatione sumendus est, ut ne quid copiâ oneret; quae res gravem metum morbi recidivi saepe incutiat. Vinum modicè quoque concedendum, sed omnis intemperantia solicitè vetanda.

Quinetiam, ut quamprimùm revalescens firmetur, monendus leni exercitatione sub dio citra fatigationem utatur, initio nempe gestatione; deinde, (viribus paulatim recreatis) oportet ad vitae consuetudines et negotia solita lentè et cautè se reciperet, ut se indusio laneo induat, et praesertim frigus et humiditatem evitet: demum, ut mutatione coeli, si possit, fruatur, quae plurimùm ad vires redintegrandas valebit.

Haec fere sunt, quae usu magistro de febris continuae curatione didici, manca et imperfecta quidem, cujus rei culpa, ut maxima ex parte mea sit, partim tamen in ipsius medicinae conditionem erit rejicienda. Nemo enim hujus artis studiosus nescit in quantis tenebris natura febris implicetur, et quantulum adhuc in ejus cognitione profecerimus.

Denique huic opusculo finem impositurо nil amplius mihi restat quam ut almae hujus Academiae Professoribus, ob doctrinam medicam ab iis acceptam, summas gratias agam, ac in primis viro praeclaro JACOBO HOME, propter benevolentiam et urbanitatem quibus me toties dignatus est.

Neque grati animi foret silentio transiisse ingenio et virtute insignem, GEORGIUM KELLIE, cujus amicitia et artis Apollinaris peritia me plurimum juverunt, scientiâque medendi auxerunt; et cujus memoriam in pectore alitam semper fovebo.

FINIS.

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.